

Annunte Christo Jesu,
Summo & unico omnium fidelium

Capite,

DISCURSUS

THEOLOGICUS,

DE

Regimine Ecclesiastico.

THESIS I.



*V*od B. Augustinus l. 1. de Civit. Dei c. 7. de insperata hostium barbarorum clementiâ, soli Christo & Christiano nomini tribuendâ olim pronuntiavit, istud non immeritò de summo quoq; reformationis Ecclesiasticæ, vel revelationis Antichristi beneficio, his ultimis mundi temporibus exhibito, constanter usurpo: Quisquis non videt, cœcus est; quisquis videt, nec laudat, ingratus; quisquis laudanti reluctatur, insanus est.

I I.

Erat su-ribus seculis miserrima Ecclesiæ facies, dum Numen istud Tarpei, Pompifex Romanus, (ut à Berengario vocabatur) auditoria Theologica erroneis opinionibus, templa Diabolicis superstitionibus, loca penè omnia cucullatis suis Monachis replebat. Leges Ecclesiasticas figebat, resigebat; Scripturas Canonicas pro arbitrato exponebat, mutabat; Sacrosancta Magistratus Politici jura violabat, & in omnia Christiani orbis territoria, in omnium fidelium tam animas, quàm fortunas, summum sibi imperium, audaciâ & tyrannide plus quàm Cyclopica, sub specioso, attamen ementito vicariatus, & successionis Petrinæ titulo, rapiebat & usurpabat.

I I I.

Hanc verò miserandam Ecclesiæ sortem ab Alto respiciens Dominus, excitavit tandem, post diuturnas tenebras, Virum & ardenti pietatis Zelo, & excellenti doctrinæ sacræ notitiâ instructissimum, Megalandrum nostrum Lutherum, & post eum alios fidos, doctosq; pastores, quorum operâ & ministerio effectum, ut populus, qui ambulabat in tenebris, videret lucem magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis lux oriretur splendidissima Esa. 9. v. 2.

A 3

4. Ete-